



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Poenitentiis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

Cavere tamen semper debent, ut pœna major non sit delicto, *c. quasi vit. in 2. §. fin. de his qua fiunt à major. part. Cap. & ut teneat auctorem: non alium. c. crimen. 1. qu. 4. c. undecunque. dist. 55. d. c. quasi vit. exceptis paucis casibus.*

Ii sunt, cum servitus filiis ob peccatum patris infligitur; *c. cum multa. 15. qu. 8. c. Ecclesia. 11. §. item peccato. 1. qu. 4.* propter Regis peccatum, regnum interdicto subjicitur; *c. non est vobis. de spons. in Simonia, c. 1. qu. 5. & aliis; de quibus supra Tit. Quib. mod. in crim. agat. Aphorism. Accusari possunt.*

Toties pœna repetenda, quoties crimen renascitur. *c. 1. hic.*

Nec facile aut sine causa est remittenda. *c. 3. de offic. Ordin.*

Causa esse possunt, pietas, necessitas, multitudo, dispensatio, utilitas, misericordia, *c. requiritis, c. tanta. 11. cum. 7. seqq. cc. qu. 1.* si aliter de crimine satisfactum; *d. c. 3. de eo pœnitentia sufficienter facta; c. cum aliquis. 12. qu. 3. can. domin. §. fin. dist. 50.* condemnationis sententia, ut injusta, revocetur. *c. ad quorundam. de excessib. Pralat.*

*De pœnitentiis.*

TIT. XLII.

Spirituales pœnas suprâ diximus esse, *Pœnitentiam, Excommunicationem, Interdictum, Suspensionem, Remotionem;* de quibus, quia Iuri huic speciales, latius & ordine dicemus.

*Pœnitentia*, est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse.

Unde (secundum Augustinum) pœnitere dicitur, quasi pœnam tenere: quia pœnitens punit in se ulciscendo, quod commisit peccando. *c. pœnitentia est quædam. 4. de pœnit. dist. 30.*

De hac pœna, quia etiam inter Sacramenta refertur; & propterea de ea supra *libro 2. tit. 6. de pœnitent. & remiss. egimus*, ne actum agamus, hic non tractabimus, lectorem ad dictum titulum remittentes.

*De excommunicatione.*

TIT. XLIII.

**E**xcommunicatio, est censura Ecclesiastica, quâ Christianus à corpore Ecclesiæ, vel saltem Sacramentorum ejus perceptione, excluditur. *arg. c. omnis Christianus. cum c. seq. & c. qui verò. II. qu. 3. c. ad mensam. 24. §. hac sententia. II. qu. 3.*

Est duplex: alia *Major*, alia *Minor* dicitur.

*Hac* est, quæ tantum à Sacramentorum participatione removet; ac propriè vocatur *Excommunicatio. c. penult. de sent. excomm.*

*Illa* est, quæ non solum à Sacramentorum perceptione, sed etiam ab Ecclesia & omni fidelium communione segregat; *d. c. pen. & c. ult. 3. qu. 4. c. ad mensam. II. qu. 3. c. Anathema*, hoc est, æternæ mortis damnatio dicitur. *in c. nemo Episcoporum. II. qu. 3.*

Quæ vel est *Solennis*; & fit, adhibitis quibusdam ritibus & cærimoniis, post aliam contra incorrigibilem; aliquando propriè *Anathema* dicitur; *c. cum non ab homine. 10. de judic. c. 1. de locat.* Vel *Non solennis*; quæ sine solennitate, unico verbo fit: Nempe *excommunico. c. 1. de eo qui furt. ordin. susc. Gloss. in c. cum aliquis. 108. ad verb. cautelam. II. qu. 3.*

Infertur *excommunicatio*, vel à *Iure* seu Canone; vel ab *Homine* per sententiam. *c. nuper. de sent. excomm.*

A *Iure* infertur *excommunicatio*, tam *major*, quam *minor*, cum quis ipso facto absque judicis ministerio *excommunicationi* subicitur; quæ & idcirco *Canonica*, & *latae sententiæ excommunicatio* dicitur. *exempl. in c. de illis. c. cum aliquis. c. certum. princ. 24. qu. 3.*

*Majore*